Dissertatio medica inauguralis, quaedam de typho complectens ... / Eruditorum examini subjicit Alexander Shaw Feild, Virginiensis.

Contributors

Field, Alexander Schaw
University of Edinburgh

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, academiae typographos, 1789.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/jqzex3ek

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

11

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, QUÆDAM DE TYPHO COMPLECTENS.

QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;
NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
Eruditorum examini subjicit

ALEXANDER SCHAW FEILD,
VIRGINIENSIS.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIX.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31964680_0002

DISSERTATIO,

QUÆDAM DE

TYPHO

COMPLECTENS.

INTER varios morbos quibus obnoxium eſt humanum genus, pauci aut frequentius invadunt, aut infelicius finiuntur, quam febres, praeſertim quae continuae dicuntur; non eſt igitur cur miremur, tot tamque ingenuoſa, quamvis irrita, a primis medicinae temporibus, ad hoc uſque aevum, inſtituta fuiſſe conamina, ut earum et natura et cauſae inveſtigarentur; hinc innumerae pene de iis theoriae, variae et imperfectae; hinc totidem curandi methodi quas diverſi ſcriptores, diverſas laudaverunt. De Typho igitur ſcripturo, non mihi in animo eſt, nova de ea re tradere; quippe quod plus ingenii, quam mihi contigit, exigeret. Nolo tamen legibus hujus Almae Academiae non obedire, quibus omnes honorum in medicina cupidi, pauca de re aliqua ad ſanandi artem pertinenti

ſcribere, jubentur. Neglectis igitur, quantum potero, theoriis, de rebus factis tantum, obſervationibuſque quotquot harum adhuc innotuerunt, tractabo; et ſtatim, ſine ullis prolegomenis, in excuſationem eorumquae minus perfecta tradam, factis, (quantus autem horum ſit numerus bene ſentio), definitionem a celeberrimo noſtro Culleno datam hic exponere pergam.

DEFINITIO.

Morbus contagioſus; calor parum auctus, pulſus parvus, debilis, plerumque frequens, urina parum mutata, ſenſorii functiones plurimum turbatae; vires multum imminutae.

HISTORIA MORBI.

Sequuntur quae ab auctoribus numerantur hujus morbi ſymptomata. Initia ejus adeo plerumque ſunt indiſtincta, ut non ſine ſumma difficultate percipiantur; incipit fere cum maximo debilitatis per totum corpus ſenſu, cum languore, laſſitudine, anorexia; cum in gradum proſternuntur vires, ut aeger omnem corporis motum fugiat; ut interdum neque incedere neque ſemet erigere poſſit.

Inter

Inter haec alternatim ſe excipiunt frigora et calores, caput vertigine et doloribus profundis afficitur; tremuntque manus, torpent brachia, ſimulque nonnunquam cogitationes turbantur; et noctu delirium accedit. Ægrotus aut ſomno deſtituitur, aut ſaltem non reficitur; terrentque per quietem horrida monſtra. Haec ſymptomata mane levantur, veſpere, niſi morbus ſtatim ab initio cohibitus fuerit, vehementiora futura. Vultus pallet, animuſque mirum in modum dejicitur. Externorum ſenſuum organa ~~ſine~~ suo cujuſque impulſu ultra ſolitum afficiuntur; luce oculi, ſtrepitu aures; hae vero nonnunquam ab initio torpent. Oculi obſcuriores hebeſcunt, altius ſuis cavis inſidunt, nonnunquam ſubrubri videntur; pulſus, ut definitio docet, parvus, debilis, plerumque frequens interdum tardior ſolito per intercapedines micat. Spiritus aliquando difficilior cum ſuſpirio ducitur, et praecordia conſtringi videntur. Eodem tempore, lingua muco albido tegitur, ſitis mediocris, calor, etſi non immodicus, frequenter tamen excitat querelas. Cutis plerumque ſicca et arida, eſt, tamen ~~ſibi~~ ubi ſudores etiam initio cernere licet. Urina nunc rubet, nunc et quidem frequentius pallet, clauditur alvus; haec igitur ſymptomata, poſtquam per ſpatium longius breviuſque durarint, multum augentur. Spiritus difficilior fit, fronte erumpunt ſudores frigidi, graves ſentiuntur per caput dorſumque dolores. Frequentius delirat aeger, aures tinniunt, tendines ſubſiliunt, vox, partim ob linguae tremores, partim propter hanc ſiccam factam et aridam, valde indiſtincta fit. Lingua colorem fuſcum induit, et niſi humida ſervetur, variis partibus dehiſcit. Dentes materia ſubnigra incruſtantur, et

per

per totum os, ingratus percipitur ſapor, quem ſaepe continui vomitus nauſeaque comitantur. Petechiae plerumque toto corpore erumpunt, praeſertim vero dorſo et pectore; quod tamen non ſemper evenit, neque, ſi quando fit, fixum ſequitur morbi terminum. Obſervatum enim eſt, a quarto inde die, in quibuſdam exemplis, in aliis vero non ante decimum quartum. Hoc quoque morbi ſtadio, immenſus ſaepe et foetidus erumpit ſudor, calore corporis extremitatum imprimis valde imminuto. Adeſt etiam aliquando diarrhoea, qua vires aegri antea ſatis exiguae mirum quantum collabuntur; morbo ad lethalem vergente terminum, omnia debilitatis ſigna augentur, vox tenuis, et vix percipienda, pro delirio profundus invadit ſopor, et aegroti, quum ſummum lecti locum tenere nequeant, verſus imas partes gradatim deſcendunt. Extremitates magis magiſque frigeſcunt, nec calorem recuperant; pulſus arteriarum eum in gradum debiles, frequentes, et inaequales fiunt, ut ne numerari quidem poſſint, ſaepius redeunt, tendinum ſubſultus, aegri digitus petunt tegmina lecti, captantque floccos, quos in aëre natantes cernere credunt. Singultus ſequitur intolerabilis, totum corpus cadaver redolet. Quae partes jacenti maxime premuntur, eae gangrena et ſphacelo afficiuntur; ſphincteres relaxantur; urina et faeces inſcio redduntur; nec ſemper ſanguinea tinctura carent. Sanguis e naribus ſtillat et gingivis, vitaque denique, magnos inter tremores et convulſiones, ſub umbras fugit.

Temporis punctum incertum eſt, quo febris illa, de qua ſcribimus, metam attingit. A Pringelio docemur, ſe ejus vidiſſe terminum, et per mortem, et per ſalutem, in ſeptimum

timum diem incidentem, frequentius vero eam durare ad decimum quartum aut viceſimum diem; nec deſunt exempla in quibus triceſimum ab initio diem complevit. Abit ſaepe in glandularum tumores, cum ſuppuratione, praeſertim in partibus corporis ſuperioribus. Recenſentur tamen a Doctore Donaldo Monro exempla, quae, per decurſum febris, bubones inguinales monſtravere; praeter Monro celeberrimum Profeſſorem noſtrum, nullum novi ſcriptorem, qui miſſis pathologiae humoralis nugis, tumores hoſce liquide explicuerit, cauſaſque eorum patefecerit. Ille eruditiſſimus, in Praelectionibus Anatomicis, monet; in omnibus morbis contagioſis infici glandulas lymphaticas, effluvia contagioſa per aërem volitantia, et corporis ſuperficiei applicata, a vaſis lymphaticis abſorberi et ad glandulas evehi, haſque ſimili fere modo, quo virus varioloſum aut ſyphiliticum, afficere. Idem credit, eam ob cauſam, has potiſſimum quas diximus glandulas affici, quod ſitu ſuo actioni contagii obnoxiores caeteris ſint; quod quidem verbis Pringelii ſtabilire puto, in libro de morbis caſtrenſibus dicentis. In febre carcerum non infici, ut creditur, glandulas parotidaeas, ſed lymphaticas iis tam prope adjacentes, ut vulgo pro glandulis parotidaeis eſſent habitae; poſt hanc febrem, reſtant ſaepe fatuitas quaedam, ſurditas, tinnituſque aurium, quae tamen mala, vigore per medicamina roborantia, motum modicum, et caetera, redeunte, ſponte evaneſcunt.

DIAGNOSIS.

Quamvis ſatis veriſimile videatur, omnes febres continuas non ortas a locali, et primario morbo, ad unum poſſe referri genus, neque ab invicem differre, niſi aut diverſis cauſarum remotarum viribus, aut diverſa reſiſtendi in corpore, in quod hae egerint, poteſtate; quum tamen diverſi febrium ſtatus typhi nimirum et ſynochae diverſiſſimas curandi methodos poſtulent, neceſſe eſt uti hos ſtatus rite diſtinguere conemur; ſynocha, quippe quae vix inter Tropicas terrae regiones apparuerit, ad frigidius coelum maxime pertinere videtur. Praeterea, cum localibus inflammatorii generis morbis, tam ſaepe eſt conjuncta, ut ſine illis unquam viſam fuiſſe vix crediderim. E contra, typhus ſub frigido coelo rarius occurrens, intra calidiores regiones furorem ſuum exercet, ita ut frigus ipſum a natura cauſarum ejus excitantium non parum abhorrere videatur. Fatendum tamen eſt, hanc quoque febrem nonnunquam pneumonia, aut catarrho, ſtipatam inveniri. Quum vero his morbis, plurima ejus exempla, praeſertim quæ ſub coelo calido obſervata ſunt, caruerint, ad res externas et fortuitas, potius quam ad ipſam febris naturam, ea referre ſuademur. Synocham nunquam comitantur ſequentia ſymptomata eodem gradu quo typhum, dejectio, languor, debilitas, anorexia, quae omnia quaſi propria videntur. In ſynocha calor corporis multum augetur; facies rubet, tumetque, pulſus ſunt duri,

validi,

validi, frequentes, et caput acutiſſime dolet; ſanguis e venis detractus, et frigore et quiete concretus, in firmam maſſam abit, cruſta coriacea et craſſa tectam, ſero ſincero et immiſto circumfluente; licet in typho cruſta iſta aliquando viſa fuerit, tamen ſemper fere inſigni illa craſſitie caret, concreta ſanguinis pars minus firma eſt, magis ſero admiſta. In ſynocha, lingua fauceſque mirum in modum areſcunt, ſitis vix ferendus eſt, urinae color intenſior eſt, alvus plerumque conſtipatur, nec nauſea vomituſque tantum urgent quam in typho, neque tam diſtinctas agnoſcit remiſſiones haec febris, quam typhus. Quando ſynocham comitatur, delirium, pulſus arteriarum temporalium magna vi micant; facies oculique rubent, aliaque aucti circuitus ſigna inveniuntur; omniaque quae impetum ſanguinis minuere poſſunt, magna facultate pollent id genus delirii ſummovendi; quod typhum comitatur delirium plus ad ſoporem vergit, arteriae leviter pulſant, corpus modice calet, cum facies tum urina pallet, aegroti murmura vix clara edunt, ipſumque delirium ab iis fugatur aut minuitur, quae vim habent ſanguinis impetum augendi.

Non facile dictu eſt, quanam ratione diſtinguendum ſit typhum inter et ſynochum, neque neceſſarium videtur, quippe quum celeberrimus Cullenus utrumque iiſdem ex cauſis, oriri, et poſteriorem in priorem converti, putat; quod ſi quis ſupra memorata rite animadverterit, vix futurum ſpero, ut ullus alius poſſit cum typho confundi morbus, licet horum nonnulli a quibuſdam quoad ſymptomata plurima cum typho ſimilia habere credantur.

CAUSÆ

CAUSÆ REMOTÆ.

Hae diſtribui poſſunt in praediſponentes et excitantes; praediſponentes vocantur quarum applicatione corpus ita mutatur, ut actioni excitantium obnoxius fiat, ſine quarum ope vix morbum faciunt. Excitantes ſunt quae in corpore actionem quorundam ex praediſponentibus antea paſſo, ſtatim morbum gignunt; quae vero, ſi vehementiores fuerint, eundem effectum vel ſola poſſunt producere.

Inter priores numeranda ſunt, me judice, nimium calor et frigus, veneris ſpirituumque diſtillatorum uſus immodicus, pathemata mentis deprimentia, item caetera quae debilitant, ut victus tenuis, domicilia humida et frigida, &c.; ad poſteriorem referenda ſunt claſſem, effluvia cum paludum tum humana. Proxime inquirendum eſt, qua ratione agendo febres generent hae cauſae. Praediſponentes omnes mihi quidem maxime, ne dicam ſolum, agere videntur, corpus directe aut indirecte debilitando; et, quamvis nonnullae ſententiae eorum qui credant debilitatem ad febres diſponere, minime favere videantur; ſunt, tamen alia quae hanc rem extra omnem dubitationis aleam ponunt. Quae contra faciunt, haec maxime ſunt. Obſervatum eſt, juvenes validos vigenteſque prae caeteris a febrium contagio affici, idque contagium in hos aliquando majore vi ſaevire; e contra, ſenes, hydropicos, et phthiſicos, ejus impetui minus obnoxios eſſe. Quod quoque verbis celeberrimi Gregorii firmatur aſſerentis, ſe in

praxi

praxi clinico ne ſingulum quidem hominem phthiſi, nec niſi unum hydrope laborantem vidiſſe qui febrem per infectionem acceperit; et tamen fatendum eſt, (inquit), magnam plerumque cum his morbis jungi debilitatem. Scimus vero corpus humanum perraro, uno eodemque tempore, a duobus morbis totius ſyſtematis teneri, ita ut a celeberrimo phyſiologo negetur, hoc unquam fieri poſſe; quod igitur juvenes et ſanguine pleni contagii effectibus tam obnoxii ſunt, hoc fortaſſe majori eorum irritabilitati tribuendum erit; quippe quae actioni contagii faveat; e contra, multi ſcriptores, iique magni nominis, obſervarunt a febribus aeque ac reliquis fere cunctis morbis convaleſcentes, et quorum vires antea diſperditae fuerint, et qui gulae venerique noviſſime indulſerint, prae caeteris a typho invadi. Hos vero valde eſſe debiles, quis eſt qui dubitet? Poſtremo, omnia quae experientia docti novimus actionem contagii promovere, quaeque nunc conſideranda veniunt, effectus ſuos maxime per debilitatem quam faciunt, edunt.

Quum calor inter potentiſſimos ſtimulos ſit numerandus, qui corpori applicari poſſint, eamque ob cauſam modica ejus actio vitae adeo ſit neceſſaria, ut cunctis animalibus a natura facultas data ſit, eum majore minoreve quantitate gignendi, prout cuique conveniat, facile credimus eundem maxime poſſe nocere, ſi quando immodicus fuerit. Et revera reperimus, per vim ejus expanſivam, eum particulas primarias e quibus corpus conflatum eſt, diſtendere, et a ſe invicem disjungere, ſicque vires quibus cohaerent, imminuere. Poteſt quoque, per ſtimulum vehementem ſyſtemati nervoſo datum, indirecte corpus debilitare. Si-

quidem videatur esse lex oeconomiae animalis, uti magnae vis nervosae incitationes, eam semper extemplo, plerumque pro rata, imminuant. Potest quoque eadem ratione corpus mobile reddere, et secretiones excretionesque naturales turbare, et dum tonum fibrae muscularis in tubo alimentario destruat, impedire, quo minus ea copia nutrimenti praeparetur et sanguini advehatur, quam vires et vigor machinae animalis exigant. Quanam ratione frigus ad febres disponat, difficilius mihi intellectu videtur; quum autem a hodiernis philosophis frigus pro privatione seu absentia caloris tantum habeatur, ex ante dictis hujus potestatis effectibus sequi, puto, frigus omnibus casibus, in quibus corpori vivo applicatum fuerit, plus minusve sedare debere; at cum modice tantum aut per breve tempus applicetur, tum indirecte stimulat, vim medicatricem excitando, ad ejus perniciosos effectus avertendos. Verum, vehementius aut diutius applicatum, ita vim vitalem minuit, ut reactio fieri nequeat, debilitas ingens necessario sequatur. Hoc revera ita esse exinde elucet, quod pars in quam egerit nonnunquam gangraena aut paralysi afficitur. Frigus praesertim cum humiditate conjunctum nocet, materiam quandam corpore retinendo quam tanquam nocivam natura excernendam perspiratione statuerat, qua in systema repulsa, magna irritatio non fieri non potest. Num haec materia in corpore retenta eosdem valeat effectus producere, ac revera producit postquam extra corpus aëri exposita fuerit; uno verbo, utrum frigus sola unquam causa typhi fiat, necne, judicare non possum. Vix crediderim, si quidem in plerisque exemplis, ubi frigus corpori applicatum vires nocivas exercuerit, catarrhum, pneumoniam,

niam, rheumatiſmum, caeteras inflammationes, non febres fieri reperimus, niſi quod, vehementius applicatum frigus, ſtatim vim vitalem deſtruat. Nimius concubitus, potus fortiores ratione illi non diſſimili agere puto, qua calorem agere ſupra demonſtravi. Nimirum vehementer incitant, itaque indirecte debilitant. Pathemata deprimentia, haemorrhagiae, &c. vires ſyſtematis nervoſi recte minuunt. Has cauſas, licet forſan alia quadam ratione, quam de qua tractavi, ad febres proclivitatem inducere, ex obſervationibus ſcriptorum plurimorum, omnium conſenſu conſtat. Hujus autem rei, quippe ab omnibus creditae, exempla proferre ſupervacaneum puto.

Cauſae excitantes.—Celeberrimus Cullenus, de cauſis febrium remotioribus agens, aſſerit paludum miaſmata intermittentes generare; humana continuas. Pace tamen tanti viri, liceat mihi pauca referre, quibus adductus, credo illos morbos, non ſemper eo modo poſſe diſtingui. Effluvia enim hominum diu incluſorum anguſtis locis, ubi aëri liber circuitus negatur, febres facere, ex obſervationibus ſatis numeroſis colligo indicantibus, typhum maxime graſſari in carceribus publicis, in Noſocomiis ſimilibuſque locis, in quibus magna vis hominum arcte conglobatur. Quod tanta luce demonſtratum fuit a Lind, Pringle, Huxham, caeteriſque, ut ſupervacaneum ducam ejus hic exempla narrare, praeſertim quum ab omnibus concedatur. Eandem vero febrem a caeteris quoque cauſis excitantibus ſupra recenſitis poſſe generari, mihi videtur. Nam quae a paludibus calore expoſitis oriuntur miaſmata, quaeque a corporibus hominum excernuntur arctos limites occupantium, aeque celeberrimo Culleno videntur materiae

teriae putridae ortum ſuum debere; porro generationem eorum promoveri, vireſque eorum augeri, iiſdem quae putredini faveant rebus, ab eodem contenditur auctore. Quid quod idem denique ſentiat, utrumque miaſmatum genus corpori humano applicatum, pari modo agere, vires nimirum ſyſtematis nervoſi labefactando, uti a ſumma debilitate ejus actionem excipiente probetur.

Dr Lind, de Morbis Indiae Occidentalis differens, interdiu, inquit, littora paludoſa odorem putridum emittunt, ad quae ſi quis appropinquaverit, ſtatim nauſea aut vomitu, mox febre nervoſa, afficitur.

Dr Donald Monro verba ſunt, febres putridae malignae exanthematae conſtipatae, aut a praecedenti ſanguinis acrimonia, aut frequentius a quodam corruptionis ſive contagionis fonte oriuntur. Ut a cibo putreſcente animali, et inopia herbarum recentium, potuſque ſubacidi, ab effluviis carnium corruptarum, a miaſmatis humidis putridis locorum paludoſorum et humilium tempore aeſtivo, ab aëre contaminata Noſocomion, carcerum, navium, &c.

Pringelio quoque ſententia fuiſſe videtur, non ab effluviis humanis tantum oriri febres carcerum. Hic enim, in iſta operis parte, quae de illa re agit, omnes malignas peſtiferaſque febres oriri ſibi videri, inquit, a fomite quodam vel interno vel externo putredinis, ſive a corporis natura putridiori, ſive ab effluviis animalium, herbarumque corruptarum pendeat. Citat idem quoque plurimas diverſorum ſcriptorum, Galeni, Forreſti, Fracaſtorii, obſervationes, quae probant, ſimiles febres factas fuiſſe, a putridis animalium herbarumque partibus. Ex his, aliiſque ſimilibus, dubium eſſe reor, humanae contagioni an com-

competat ista vis specifica typhum operandi, a multis illi tributa. Nec desunt, quibus adducor suspicari, omnes forsan febres iisdem gaudere causis excitantibus, quarum nulla vi polleat certa prae caeteris hanc vel illam febrem gignendi. Accedit, quod intermittentes et continuae saepius ob res fortuitas typum invicem mutant; narranturque exempla febrium initio ad synochae speciem accedentium, postea vero, propter pravum tractandi modum, veram typhi faciem induentium. Dr Lind memorat ab eodem contagionis fonte profluxisse diversas febres, quas externam speciem secutus, flavas, petechiales, miliarias, appellaveris; qui his laborarint, horum pauci febrem intermittenti similem mitiorem habuisse, in caeteros idem contagium omni continentis furore saeviisse. Quinimo celeberrimus Cullenus ipse scripsit, intermittentes in remittentes, has iterum in continentissimas febres, verti solere. Postremo, a Dom. Shaaff amico meo ingeniosissimo certior ipsum hujus rei exemplum in America vidisse. Nam plurimi homines eadem domo habitantes, et eodem contagio expositi, febribus laborabant, hi intermittentis, alii remittentis, alii continui generis. Vero igitur ~~veri~~simile mihi videtur, febres, praesertim continuas, ideo diversas fieri, quod aut corpus adoriantur, diversae naturae, aut diversis gaudeant, quoad vim earum, causis excitantibus. Novimus enim validius agere effluvia typhum gignentia postquam aliquamdiu lanae, xylo, aliisque ejus generis rebus adhaeserint, quam si novissime corpus aegrotantis reliquissent. Quod ita explicatur, ut ista ratione contagio cumulari, et forsan magis putrescere dicatur. Nihilominus fatendum est, paludum miasmata plerumque intermittentes

febres

febres inducere, fortaſſe quia parum quaſi ſpiſſa ſunt, quippe quae per aëra prius diffundantur, quam ad corpus applicentur. Hac enim re, vires nocivas imminui credere eſt. Diſputatum quoque eſt, utrum effluvia contagioſa pulmones, per reſpirationem intrando, corpus afficiant, an per poros tranſeundo ſuperficiem corporis penetrent, an denique cum ſaliva commiſta per os in ſtomachum deſcendant. Hanc rem vero, multas ob cauſas, hic praeteribo. Nam primum, quidnam verius ſit, non facile cognoſci poteſt, tum vero etiamſi, ſi quis in aliquam harum ſententiarum abiiſſet; tamen ideo modum curandi, ni forſan in uſu emeticorum, non valde diverſum ſequeretur; poſtremo, nec vires nec tempus mihi ſufficerent, ſi rem penitius conſiderare vellem. Porro vero ſimile duco, omnibus iſtis viis ſimul materiam contagioſam in corpus introduci.

CAUSA PROXIMA.

Docemur a celeberrimo Culleno ſanationem morbi maxime et neceſſario cognitione ſtrui proximae cauſae. Quod quum ita ſit, facile crediderimus, medicos omnes aevi operam ſuam contuliſſe, ut haec cauſa, morbi praeſertim, cui humanum genus tam obnoxium eſt, inveſtigaretur, quidque ſit certo ſtabiliretur; et revera ex antiquiſſimis temporibus multas de hac re theorias invenimus. His autem ad unam omnibus jampridem fugatis, cum ob funda-

men

men minus firmum quo nitebantur, tum quia tempora recentiora, ex ingenio pariter ac inventis, novas ſemper depromſit ſententias, quas iterum aevum nuperrimum deſtruxit; unam itaque tantum, eamque Culleni celeberrimi, memorabo, quippe quae hujus ſeculi longe plurimis medicorum arriſerit. Neque hoc melius exequi potero, quam ipſius verba citando. Hic vir, ingenio pariter ac doctrina et induſtria laudandus, demonſtratis et fuſis, qui innumeris pene proximam febris cauſam ante eum foedaverant erroribus, ſequentem ipſis morbi phaenomenis ſuperſtructam nobis tradit theoriam: " The remote cauſes of fever are certain ſedative powers applied to the nervous ſyſtem, which, diminiſhing the energy of the brain, thereby produce a debility in the whole of the functions, and particularly in the action of the extreme veſſels. Such, however, is, at the ſame time, the nature of the animal oeconomy, that this debility proves an indirect ſtimulus to the ſanguiferous ſyſtem; whence, by the intervention of the cold ſtage, and ſpaſm connected with it, the action of the heart and larger arteries is increaſed, and continues ſo till it has had the effect of reſtoring the energy of the brain, of extending this energy to the extreme veſſels, of reſtoring, therefore, their action, and thereby eſpecially overcoming the ſpaſm affecting them."

PROG-

PROGNOSIS.

Haec in febre aliquando incerta, plerumque tamen laeta eſt, praeſertim ſi conamen in principio morbum cohibendi non fuerit neglectum; experientia enim docti, novimus quoties nihil ejuſmodi tentatum fuerit, et morbus aliquamdiu permanſerit et vires acquiſiverit, aut inſcite tractatus fuerit, tantum corpus mutationem ſubire, tamque a ſalute machinae animalis abhorrentem, quam nullae medicinae vires vincere valeant, Utile quoque erit ad naturam morbi tunc temporis graſſantis animum advertere, hic utrum ſit bonae an malae indolis. Nam a Gregorio cel. audivimus, ſe in clinica Noſocomii praxi per plures annos ne unum quidem aegrum febre correptum morte perdidiſſe; nonnunquam vero ſingulo anno, tres ad ſex, eadem adhibita medendi ratione, per morbi vires periiſſe. Delirium, ſi quando ſtatim ab initio inciderit, pro malo omine cenſetur; quippe per quod, me judice, vim vitalem multum jam imminutam ſentiamus. Non enim veriſimile videtur, aut ad ſanguinis impetum caput verſus auctum, aut ad vires cerebri ipſius auctas, hoc poſſe ſymptoma referri. Nam vino plerumque atque opio levatur; quae tamen, ſi ab iſtis cauſis penderet, omnia adaugerent. Porro conſiderandum eſt, quis fuerit aegri ſtatus antequam in febrem inciderit, an debilitatus ſit ab aliis morbis; tales enim experientia docet facillime huic morbo ſuccumbere. Caetera quae mali ominis habentur ſymptomata ſunt,

quum

quum ſpiritus aegre et frequenter ducatur, aut pulſus debiles fiant centum quadragies aut centum quinquagies per ſpatium temporis ſolitum micantes, quippe poſt quem ſtatum vix ullus reſtauratus fuit. Auditus praeter ſolitum auctus, viſus imperfectus, oculi hebetes parum ſplendentes, haec quoque periculum indicant. Porro difficilis deglutitio et frequentes tendinum ſubſultus, et ſingultus, et extremitates frigeſcentes, et quum de ſiti non quaeritur aeger, licet os et lingua areant et ſqualeant, et, poſt dejectiones frequentes, durum et tenſum abdomen, et faeces ſine ſenſu profluentes, haec quoque triſtiſſimum eventum indicare creduntur. Multi ſumma cura urinam inſpexerunt ad prognoſin febrium formandam, ſed paulo infelicius, ni fallor; nam et a Pringelio monemur nonnullos urina ſine ſedimine manente ſalutem recuperaſſe; et Gregorius cel. affirmat, ſe vidiſſe ſedimentum magna copia ab initio inde febrium, quarum in fine nullum cernere licebat. Sunt et alia quaedam quae mortem minitari credita ſunt. Haec vero, enumeratis jam quae memoratu digniora viſa ſunt, hic addere vix neceſſarium duco. Quum igitur horum ſymptomatum aut nulla adſint, aut perpauca, aut, ſi qua ſint, ea mitiora obſerventur, jucundiora tum praedicenda erunt. Sunt vero quoque quae ſalutem indicant, ut humor modicus per corpus verſus finem morbi diffuſus; et ſi aeger multum dormiat, et lingua humida nitidaque, et ſaliva libere ſecreta, ſine aphthis, ſurditas quoque optimi creditur ominis, quippe ex qua pauci moriuntur. Gregorius cel. poſtquam hoc ſymptoma apparuiſſet, paucos admodum aegrotos mortuos eſſe, ex iis quos ipſe tractavit, monet. Riverius, quoque, ſe obſer-

vaſſe dicit millies eos ex febre convaleſcere qui in faſtigio morbi ſurdiores ſint facti.

METHODUS MEDENDI.

Tractanti mihi de ratione typho medendi, quippe de quo morbo tot jam auctores fuſius diſſeruerunt, neque propoſitum ſuadet, neque tempus permittit, omnia enumerare remedia quae eum in finem adhibita ſint. De iis tantum loquar quae noſtris temporibus medicinam facientes ſcopo ſuo accommodatiſſima invenerunt. Quod cum faciam, Culleni cel. veſtigia premens, in ordines quoſdam ea remedia dividam pro diverſis quibus inſerviunt indicationibus. Harum prima erit, ſpaſmum, extrema vaſa in corporis ſuperficie obtinentem, tollere. Qui tantum non ſemper adeſt, licet a nonnullis pro cauſa febris nequaquam habeatur; quippe etiam, ſi cauſa non ſit, tamen tanquam morbi ſequela, dignus videtur ad quem attentionem noſtram dirigamus. Quae ad hunc finem plerumque data ſunt remedia, emeticis, ſudorificis, balneis calidis, veſicatoriis, abſolvuntur. Quandoquidem vero mihi videtur, cauſas febris remotiores, vires ſyſtematis nervoſi minuendo, potiſſimum effectus ſuos producere, ſicque corpus debilitando, Solum praeter ſupra dictum propoſitum hoc erit, cauſas tollere, affectibus obſtare debilitatis. Dubitant enim multi, poſt obſervationes experimentaque Lindii et Millmanni, putredo fluidorum utrum

trum unquam fiat, nec ne, vita adhuc ſuperſtite. Et ipſe credo poſſe remedia, contra putredinem laudata, ſub noviſſima hac indicatione enumerari. Quare tertiam de putredine corrigenda ideo addere nolui, quod certamen de iſta re inire minime vellem, non quod certior factus eſſem, eam revera inter nugas eſſe referendam. Cum feliciſſimo eventu ſequentibus utimur remediis ad ſecundam indicationem exſequendam; frigore, ſcilicet, et Cortice Peruviano, et vino, et opio, et alkali volatili, et munditie exquiſita, et alvi leni ductione, ne ſcilicet haec adſtrictior maneret. Nunc ad haec remedia ſigillatim conſideranda accingor; primoque, quae ad primum propoſitum pertinent, aggredior. Initio febrium plerumque adhibentur emetica et feliciſſimo eventu, ut multa docent exempla. Quod facile effectibus eorum in ventriculum editis et cum caetero corpori, tum maxime cuti communicato, tribuitur. Omnibus enim nota eſt, quae obtinet ventriculum inter et cutem ſympathia, qua fit ut per emetica hujus vaſa ſpaſmo affecta, reſolvantur; ſunt tamen quibus ſuadeor credere, bonos emeticorum effectus, ex parte ſaltem a vehementi illo et ſubito concuſſu, quo ex eorum uſu totum ſyſtema afficitur, et victo, ſeu mutato illo nervoſi ſyſtematis ſtatu, quem contagio antea induxerat, pendere. Porro ventriculus per emetica quoque ciborum onere levatur, quos, propter ejus debilitatem, digerere omnino non potuit. Emetica, et praeſertim antimonii praeparata, hoc aevo doſibus nauſeam creantibus exhibentur, minus apte, ni fallor, quia ſaepe debilitant. His ſi opus fuerit ex Homii cel. experimentis clinicis elucet, pulverem Jacobi tartaro emetico praeſtare, cum ob alia tum quia minus ſaepe

inteſtina

inteſtina turbat, et diarrhoeam gignit. Hoc tamen ejus vitium a Culleno cel. notatur, quod de ejus quantitate, non aeque facile, ac de quantitate neceſſaria tartari emetici judicare poſſumus. Sudorifica contra hanc febrem, tanquam huic conſilio accommodata, nonnulli commendarunt. Semper vero debilitatem adaugent; neque ſudores, qui ſaepe ſponte ſua fluunt, morbum ſemper levant. Non igitur ſine diſtinctione adhibenda cenſeo, quae nonnunquam etiam nocent, neque unquam niſi initio febris. Tunc enim, ut Pringelius docet, non ſine magno fructu iis utimur, perque ea febris curſum cohibemus, eo tutius, quo minus ſaepe in ipſo morbi limine gravior ingruit debilitas. Balneum calidum, aut aqua calida pedibus per fotus applicata, non inepte, me judice, contra typhum laudatur; nam per experimenta Homii cel. et Dr Stephenſon, in diſſertationibus medicis hujus urbis legere licet, valde utilia haec eſſe videntur, ad impetum ſanguinis augendum, et ſomnum inducendum, et humorem in cutem eliciendum. Quin et a Dr Lind praedicatur, ſe per pannum laneum, aqua calida inmerſum, et vehementer contorquendo exſiccatum, ſicque pedibus aegrotorum, deliriis et convulſionibus affectorum, applicatum, tranquilitatem reſtauraſſe, et ſomnum induxiſſe. Ad hanc rem quod attinet, cel. Cullenus docet in fotus uſu, per horam ad minimum eſſe perſeverandum.

Riverius, Etmuller, Lind, aliique et laudarunt, et ipſi adhibuerunt, ſaepius veſicatoria tanquam remedium utile; ſed vereor, ne noceant, propter eorum irritationem. Cel. Home, ex multis quae de ea re inſtituit experimentis, perexiguum eorum eſſe uſum, in curanda febre typho judicat;

cat; ſaepe enim poſt ea applicata pulſus invenit incitatos. Cel. quoque Gregorius negat ſe unquam ſpaſtica, cum fructu, exhibita vidiſſe, ſaepe eorum uſum gravem eſſe ſecutam injuriam invenit. Denique, Pringle ad eadem in initio morbi ſe confugiſſe, ait; neque tamen per ea, aut caput eſſe levatum, aut ſymptomata uſitata repulſa. Nihilominus, ut ex experimentis ſupra laudatis cel. Homii apparet, cum fructu ſaepe contra cephalalgiam et dolorem faucium; et ſimilia, tanquam remedia localia, adhibentur. Venimus nunc ad remedia quae ad alteram conſilii partem pertinent. Quorum inter potentiſſima recenſendum eſt frigus; triplici modo hocce adhibetur. Nam aut potus frigidus in ventriculum immittitur, aut aër frigidus ſuperficiei corporis admovetur; aut denique ſimili modo aqua frigida utimur. Potus frigidus, praeterquam quod utilis eſt, ad communicandos effectus ſtimulantes, et tonicos, a ventriculo caetero corpori, ſicque fibris muſcularibus, tonum per febris cauſas amiſſum reddendo, ex hoc quoque juvat, quod materiem tenuiorem ſuppeditat corpori ejus, ut a cel. Culleno docemur, per decurſum morbi orbato, ex qua materia aquoſa maxime pendet diſtentio extremorum vaſorum; et quidem uſus cereveſiae tenuis et frigidae in Regio hujus urbis Noſocomio optime respondere cernitur. Quod ſi quis hoc tribuere mallet aëri fixo ſaltem ex parte, tamen ſuaderer ejus uſum maxime a quantitate fluidi frigidi pendere, ventriculo immiſſi; praeſertim quum cognoſcamus eundem felicem eventum ſaepe comitari frigidae aquae uſum in febribus, imprimis inter Hiſpanos et Italos. Sed omnium optime per aërem aut aquam frigus applicatur; nam aëre frigido libere circumfluente diſſi-

pantur

pantur quae e corpore aegroti noxia oriuntur effluvia. Porro vires ſtimulatrices ſuas et tonicas per ſuperficiem toto communicantur corpori, ita ut gravi illi quae urget debilitati occurritur. At optimi quos edit frigus effectus jampridem ita inter omnes conſtant, ut merito a pluribus adhibeatur. Dicitur frigida aqua in quibuſdam terrae regionibus corpus aegroti profundi ſummo cum fructu. Dom. Howard ſe vidiſſe ait, homines quos febris carcerum pro mortuis reliquerat, poſtquam aqua frigida lavati fuiſſent, denuo ſigna vitae oſtendentes, et mox ſalutem recuperantes. Audivi quoque corpora hominum inter Ruſſos peſte afflictorum, nive, feliciſſimo cum eventu, lota fuiſſe. Exhibito emetico, cortex Peruvianus, me judice, tanquam remedium tonicum potentiſſimum addi debet, ad febrem ſanandam; de quo a cel. Culleno monemur dandam eſſe ipſam ejus ſubſtantiam, eamque magnis in doſibus; ita enim ſolum bonos effectus eſſe expectandos. Apud Dr Clarke, multa de ejus uſu relata legimus. Cel. Donald Monro quoque affirmat, compluribus febre laborantibus ſe dediſſe corticem, qui ſi aegrotis non ſemper ſalutem reddiderit, tamen, in his exemplis, omnibus aliis remediis facile praeſtare videbatur; tum potiſſimum flagitatur, quum gangraena partium quibus nititur aeger metuenda ſit. Dubitatum tamen eſt, utrum oporteret cortice uti, in morbi initio; metuendum enim eſſe ne diatheſis phlogiſtica, quae tum exiſtere creditur, per ejus uſum augeretur; hoc tamen fieri ob exhibitionem corticis, a cel. Gregorio negatur.

Vinum, et maxime quod vocatur *Port*, inter prima typhi auxilia ſtimulantia, eſſe referendum cenſeo. Satis magna

magna copia adhibitum plerumque minuit delirium, pulſus roborat, ventriculo gratum eſt, optimoſque contra ſubſultus tendinum, ſi qui adſuerint, effectus edit. Quod ad copiam attinet, haec a natura morbi praeſentis pendet, plerumque tamen neceſſe eſt, a parva quantitate incipere, eamque ſubinde augere; utile quoque eſt aqua dilutum. Si quando, ut fit, per ejus uſum pulſus acceleratur, deliriumque augetur, aut ab eo abſtinendum, aut ejus uſui modus adhibendus erit. Alium utiliſſimum typhi remedium, opium eſt, quod judico ratione agere ei ſimili qua vinum ipſum; at cum viribus quoque inſignibus gaudeat antiſpaſmodicis, inde utile fit contra ſpaſmum vaſorum extremorum urgentibus ſingultu, tremore, ſubſultu tendinum praecipue eo opus eſt. Porro, ad depellendas moleſtas illas, quae ſaepe typhum comitantur vigilias, magnum et efficax remedium, quin et ad diarrhoeam, quae nonnunquam ſupervenit, cohibendam. Notandum tamen hoc medicamento utentibus eſt, non nimis parva id eſſe adhibendum copia; nam experientia monet, ſaepius a parva doſi augeri eadem illa gravia contra quae adhibetur ſymptomata, nimirum, vigilantia et inquietudo. Moſchus, quoque, et alkali volatile laudantur et adhibentur in typho; quae tamen negligenda puto, quippe quum meliora ad eundem effectum promovendum remedia habeamus, nempe, vinum et opium.

Novimus, ratione edocti pariter ac experientia, quam neceſſe ſit, ut ſummam munditiei, attentionem praebeamus, praeterquam quod cubiculum in quo ſit aeger aëri exponi, conſtanter ſeſe renovanti; mutanda quoque ſunt lintea et corporis et lecti, ne qua materia e corpore emiſſa

eidem

eidem denuo applicetur. Hanc enim ex analogia licet credere, vi ſedativa in id eſſe acturam, itaque debilitaturam. Eandem ob cauſam, alvus leniter per injectiones movenda erit; nam cum faeces in inteſtinis ſtagnantes et mole ſua et acrimonia creſcant, ex iis magna irritatio non oriri non poteſt; et cum porro videantur liquidiores, earum partes abſorberi et ſanguinis maſſae reddi, vero ſimile eſt haſce ibi quoque eandem vim exercere, et hac quoque ratione debilitatem promovere poſſe.

Perducto ad finem qua potui hoc opuſculo, Profeſſoribus celeberrimis, hac in Alma Academia, ob doctrinae medicae fructum, et praecipue viro egregio Monro, propter auxilium aegrotanti datum, gratias maximas ago.

FINIS.